



1726, 14

77.
35

DISSERTATIO INAUGVRALIS IVRIDICA,
DE EO
QVOD IYSTVM EST
CIRCA
VENATIONEM.

QVAM
MAGNIFICO RECTORE VNIVERSITATIS
AC PRO-CANCELLARIO,
REVERENDISSIMO ET PER-ILLVSTRI DOMINO,
DOMINO

CHRISTOPHORO IGNATIO
DE GVDENVS, J. V. D.

DENOMINATO CONFIRMATO ET PROXIME CONSECRANDO SVFRAGANEO
ERFORDIENSI ET EPISCOPO ANEMORIENSI, INSGNIS ECCLES. COLLEG. S. SEV.
CAN. CAP. ET SCHOLAST. EMINENT. AC CELSISS. PRINC. ELECT. MO-
GVNT. CONSIL. ECCLESIAST. ET REL.

CONSENSV ET AVTORITATE AMPLISSIMÆ
FACVLTATIS IVRIDICÆ
IN PERANTIQA ELECTORALI ERFORDIENSI
SVB PRÆSIDIO

DN. D. TOB. JAC. REINHARDT

SACR. PALAT. CÆS. COM. FACVLT. IVRID. ASSESS. PAND. P. P. ORD.
NEC NON CIVITATIS SYNDIC.

PRO LICENTIA

SVMOS IN VTROQVE IURE HONORES ET GRADVM
DOCTORALEM IPSVM RITE CAPESSENDI

LOCO HORISQVE CONSVETIS

PVBLYCO EXAMINI SVBJICET
AVTOR

ANDREAS NIZSCHIVS, Schlettav. Misn.

ADVOCAT. IMMATR. SCHVVARTZENBERGENS.

DIE XXV. MAJI ANNO M DCC XXVI.

ERFORDIÆ, Typis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.

DISSERTATIO IN AUCTORITATE MEDICALI

QUOD ILLIUM EST

VENIATIONEM.

MAGISTRO RECTORI UNIVERSITATIS

ACADEMIAE CAESARIS

UNIVERSITATIS AUSTRIACAE VIENNAE

D. O. M. I. N. O.

CHRISTOPHORO IGNAZIO

DE EYDENVS, J. V. D.

DE IURE ET PROXIMA CONSERVATIONE

REPUBLICAE VIENNAE

IN AUCTORITATE

ELECTORALI ERUDITIONI

DR. D. TOR. JAC. RENNHARDT

PROFESSORIS PRAELECTORIS

PRO LICENTIA

IN AUCTORITATE

REPUBLICAE VIENNAE

ANDREAS NISCHIVS, M. D.

ADVOCAT. IMPER. AUSTRIACAE

DIE XXV. M. DCC. LXXV.

VIENNAE, IN AUCTORITATE





Thes. I.



St venationis vocabulum polyse-
mon WESENBECK. in *parat. n. 7.*
de acquir. rer. Domin. datur enim
(1) venatio arenaria, quæ olim e-
rat, quando quis intromittebatur
in arenam cum bestiis pugnaturus,
mercede ad id conductus, *Nov. 105.*

c. 1. l. 1. §. 6. vers. Et qui ff. de postuland. (2) Est venatio
adulatoria, quæ fit per verba, quando alterius dicta &
voces aucupamur, quæ admodum frequens nostris ho-
diernis Pseudo-politicis. PRUCKMANN. in *tract. de rega-*
lib. §. venatio c. 3. (3) Est venatio oppressiva sc. homi-
num, HARPRECHT. in *comment. Inst. ad §. 12. Inst. de rer.*
div. ad exemplum Nimrodi, Robusti venatoris Genes. 10.
v. 9. c. 4. qua homines opprimebantur atque trucidab-
bantur *Mich. 7. v. 2. Jerem. 16. v. 16. inquires: Minita-*
tur Deus, mittam eis multos venatores, Et venabuntur
eos de omni monte, Et de omni colle, Et de cavernis pe-
trarum, quibus se conformat CARPZOV. Proc. Crim. p. 1.
qu. 44. dicens. Non invenimus in scripturis sacris san-

Etum aliquem venatorem, piscatores invenimus sanctos, cum quo convenit *Psalm. 91. Anima nostra erepta est sicuti passer de laqueo venantium.* Et Prophetia ipse *cit. loc.* dixit: *Dominus liberabit me de laqueo venantium.* Est (4) venatio saltuosa, quæ fit cum cornu & clamore, adhibitis canibus venaticis, *L. 28. L. 29. ff. ad L. aquil. L. 55. ff. de acquir. rer. Domin. § lib. 2. feud. tit. 27. vers. nemo retia:* Ideo clamosa, vel clamorosa, saltuosa, sive sylvatica, quandoque & recreativa indigitatur. *ANDR. GAIL. Lib. 2. observ. 68. n. 8. § 9.* quæ est callida ferarum illaqueatio, & Germanis vocatur, *die Jagd- Wild-Bahns- oder Forst-Gerechtigfeit*, licet hæc in sensu genuino & proprio maxime inter se differant. *HARPRECHT. ad tit. Instit. de rer. divis. in §. 12. n. 263. Thef. II.*

Quarum tres priores species rejicimus, quia Juri naturæ repugnant atque illicitæ sunt, quartam & ultimam vero retinemus, tam ob finem venationis minus principalem, qui consistit in commodis, rei œconomicæ interservientibus, non in commerciis, quæ Principi ac viro nobili indigna *L. 6. ne quis C. de dignit. L. 3. nobiliores C. de commerc.* animalia enim omnia a Deo creata sunt ad hominis usum & utilitatem, ut hominibus uberius & commodius victus & amictus esse possit, *WESENB. in ff. par. n. 7. de acquir. rer. domin.* quam ob principalem ferarum sc. capturam atque intermedium finem, qui in corporis exercitatione atque delectatione consistit. *PRUCKMANN. de regal.* Ideoque omni tempore Heroes Magnanimi huic exercitio operam dederunt, quia corpus habile reddit, ad bellicos usus, ut quis

quis cordatior, & promptior in conflictu efficiatur, cum palæstra & umbratilis militia esse dicatur, CIC. *de nat. Deor.*: tanque valetudini firmandæ & conservandæ, quam animo excitando inservit. Imprimis autem Germanos huic exercitio operam dedisse, refert TIRAQV. *de nobil. c. 37. n. 141.* vid. CASP. ZIGLER *de Jur. Maj. L. 2. Cap. 14. §. 43.*

Th. III.

Proinde venatio & licita & honesta, cum tam Jure divino & naturali, quam civili & canonico regulariter permittatur, atque concedatur, *arg. Genes. 1. v. 26. & 28. Lev. 17. v. 13.* eo quod commatui & annonæ multum conducatur, ob id etiam legislatores multas immunitates venatoribus concedunt, *L. ult. ff. de Jur. immunit. PRVCKM. de regal. c. 4. §. venatio n. 6.* Ideoque in se honesta, & licita & Principe, viroque nobili maximè digna GAIL. 2. *observ. 67. n. 1.* TIRAQV. *in tractat. de nobilitat. c. 37. n. 139.* Nec facit quod venari sit servile officium, & maxima sæcum ferat incommoda, sed illud fit, ex immodico venationis usu, & sic abusu, qui abusus nullo modo potest tollere usum, ideoque maximo vitio datum hoc fuit Heinrico I. Aucupi, Hadriano, Maximiliano I. aliisque Imperatoribus atque Principibus, quod seposita maximam partem Reipubl. cura per totum tempus vitæ huic exercitio nimium se dederunt, TIRAQV. *de nobilitat. c. 37. n. 149.* Si itaque quædam incommoda ex venatione proveniunt, illa tantum fiunt ex accidenti, nec venationi per se adscribenda, alias omne bonum per se esset improbandum, cum nihil tam bonum & utile, cui non accedere posset aliquis

quod malum. Non autem de venatione in se considerata, quæ est res indifferens, & ex tempore, loco, persona & causa, modo licita, modo illicita & inhonesta esse potest.

Th. IV.

Est itaque venatio Jus sive facultas investigandi, & capiendi feras eo animo instituta, ut iis captis utamur, iisque fruamur. Feras autem hic intelligimus, quæ immensam atque infinitam à natura libere vagandi potestatem habent, quarum natura non est cicurata DD. in §. apium 14. & 15. Instit. de rer. Div. quibus est natalis seu genitales feritas, quæ vagantur in naturali libertate. L. 5. in pr. de acquir. rer. Dom. L. 3. §. 14. ff. de acq. possess. sive laxitate L. 44. l. 55. ff. de acquir. rer. Dom. & huc etiam referimus feras in sylvis circum septis, im Hågen und gehågten Wåldern, vagantes, quia in libertate naturali relictæ censentur. L. 3. §. 14. ff. de acq. rer. Domin. ideoque multa accidere possunt, ut eas non capiamus, L. 5. §. 1. infn. ff. de acquir. rer. Domin. Per feras autem cicures intelligimus cas, quæ natura tales sunt, non vero quæ arte, cura & industria hominum tales factæ, proinde cervi, ursi, Leones, arte cicurati revera feræ bestię manent, ita, licet mansueti sint pavones, L. 37. de furt. & gregatim in Italia pasci, perhibeat VARRO lib. 3. c. 5. nihilominus tamen feræ esse dicuntur L. 5. §. 2. & seq. de acq. rer. Domin. §. 15. Instit. de rer. Divis. Ira anates, & anseres, scilicet non domestici §. 16. Inst. de rer. Divis. L. 5. §. 6. ff. de acquir. rer. Dom. Gloss. Furis Saxon. Tit. 40. lib. 2. n. 4. in unum fasciculum comprehendit, daß nemlichen alles

alles wilder Natur sey, das man nicht mit den Hirthen hüten mag, de quibus animalibus arte & industria hominum cicuratis & exire, & redire consuetis, talis circumfertur regula: quod videlicet eo usque tua esse intelligantur, quam diu animum revertendi habuerint, quem cum deposuerint, cedant occupanti, nec furtum committitur, §. 15. *vers. in iis autem Inst. de rer. div. L. 5. §. 5. de acquir. rer. Domin. L. 8. §. 1. ff. famil. ercisc.* Animum autem revertendi desuisse habere tum videntur, cum revertendi consuetudinem omiserant. *d. d. LL. & hoc est, quod habet art. 119. Weichbild. Tauben, Krähen, Aelster, Pfauen und ander Feder-Spiel, das nicht grimmend ist, fleugt es zu Felde es ist gemein.* Si vero iste animus non revertendi ab alicujus insidiis proficiscatur, ut si vicinus columbis alterius inescationes pararit, tum horum volatilium, furtum fit, *L. 37. ff. de furt. §. expresse l. 8. §. 1. ff. fam. ercisc.* Feræ itidem istæ, quæ caveis vivariis, vulgo Thier-Garten includuntur, etsi natura tales, tamen, quia ideo inclusæ, ut eas quodocunque velimus capere possimus, cicuratis annumerantur; Proinde citra furti crimen capi non possunt, *L. 3. §. 14. ff. de acqu. poss. L. 5. naturalium §. 5. vers. cervos ff. de acquir. rer. Domin.*

Th. V.

Dividitur autem venatio in tres species secundum tres diversas animalium differentias *arg. L. 1. ff. de acq. rer. Dom. in piscationem, aucupium, & venationem proprie ita dictam WESENB. in paral. ff. de acquir. rer. Domin.* quam ultimam brevitatis causa jam in præsentibus retinemus. Quæ vicissim dividitur ratione adjuncti,

Et, in venationem clamorosam, quæ fit cum cornu, & clamore, adhibitis canibus venaticis, & placidam seu tacitam, quæ tantum retibus peragitur *L. 28. l. 29. ff. de L. acquir. L. 55. D. acquir. rer. Domin.* & eam quæ fit a mis & tormentis, aliisque id genus instrumentis. De inde ratione objecti venatio subdividitur in Jus foreste simplex seu particulare, quo feras minores tantum capere licet. Et summum sive universale, *die hohe Jagd oder Wild Bahn*, quo etiam majores venari feras possumus. Num itaque caprearum venatio ad Jus foreste simplex, num vero ad summum referri debeat quaeritur? respondemus consuetudinem & mores cujusque loci attendendas esse, cum in aliis locis ad majores in aliis capreae ad minores referantur.

Th. VI. Sed cum venatio tam Jure divino, & gentium quibusvis hominibus nullo personarum habito respectu sit concessa *Genes. 1. vers. 26. 28. & 30.* Proinde fera capta occupantis fit tamdiu quam diu custodia ejus tenetur, quod si evaserit ejus custodiam, & in naturalem libertatem sese receperit, tum iterum occupantis efficitur. *L. 3. §. quicquid L. 44. ff. Pomponius de acquir. Domin. eo quod earum possessione Dominium acquiratur L. 1. §. 1. ff. de acq. poss.* Ergo amissa possessione, ratione correlativorum amittitur etiam Dominium, *arg. pr. Inst. de his, qui sui vel alieni. Jur. L. 7. ff. eadem L. 35. nihil tam naturale ff. D. regul. Jur.* adeo, ut non aliter occupantis fiat, quam si feram ceperit, licet eam vulneraverit, *§. 13. Instit. de rer. Div. L. 5. §. 1. ff. de acquir. rer. Dom.*

cum multa accidere possint, ut feram vulneratam non
capiat, *Dist. §. 13. Del. ibid.*

Th. VII.

Non solum autem quis venari potest in fundo suo;
sed etiam in alieno, & quod ceperit, capientis erit, non
ejus, cujus fundus, *L. 3. §. 1. ff. de acq. rer. Domin.*
§. 12. fere, Instit. de rer. Divis. gloss. in l. Divus 16. ff. de
servit. rustic. prædior. eo, quod aër communis sit omni-
bus, & in aère aves volitant atque bestiae vagantur,
adeoque cum nullo certo loco consistunt, magis aère,
quam terrâ contineri videntur, neque sunt illæ pars
fundi, aut terræ, sed in quocunque demum sunt loco,
sunt in libertate naturali, & communes atque nullius, ac
proinde occupanti cedunt. *L. 3. §. 14. L. 26. ff. de acq.*
possess. Dominus tamen alium aditu & ingressu
sui fundi prohibere potest, in tantum, ut non solum
injuriarum, qui contra Domini prohibitionem ingres-
sus fuerit, sed & ad damni per ingressum istum Do-
mino fundi illati emendationem, teneatur, *t. t. ff.*
ad leg. acq. adeo, ut venator etiam armata manu
prohiberi possit, ne fundum alterius ingrediatur, *arg.*
L. 29. quemadmodum §. 1. vers. aliud ff. ad leg. acq. gl. in
L. 3. §. 1. vers. plane ff. de acq. rer. Dom. Ita si venator
contra prohibitionem Domini agrum, sylvamque
ejus intravit, & monitus ut exiret, nihil ominis ta-
men in ea permanet, Dominus ingredientem vi & au-
toritate propria expellere potest, *arg. l. vim facit ff.*
vi & vi armat. l. ut vim. 3. ff. d. F. & F. cum Juris ma-
nifesti sit, vim vi repellendam esse *L. 1. §. vim vi ff. de*
vi vel vi arm. L. 45. §. qui cum aliter ff. ad L. acq. l. 3.

B

ut

ut vim ff. d. J. & J. quantum vis Dominus fundi venatores in actu venationis detinere non possit, cum privata captura atque incarcerationio sit prohibita t. t. C. ne quis in sua causa Judic. t. t. d. privat. intub. Nov. 134. c. 7. qui tamen spreta Domini prohibitione fundum ingrediens animalia capit, ea fundi Domino restituere non tenetur, sed pleno Jure sibi acquirit, arg. L. 3. §. 1. L. 5. §. 3. de acquir. rer. Domin eo, quod ferae in agro meo versantes meae non sunt, sed nullius, ideoque occupantis efficiuntur, proinde nec poena restitutionis capiendus, cum legitime factum poenam non mereatur L. 151. nemo L. 155. factum §. 1. ff. d. R. J. nec poena privationis locum habet, nisi in casibus jure expressis L. 14. & si quis §. Divus ibi poenam tamen ff. de velat. & sunt. fun. Nov. 2. c. 3. actus itaque ingressionis contra Domini voluntatem factus & lege prohibitus, distinguendus ut diversus ab actu venationis atque occupationis jure permisso atque concessio arg. §. 12. Inst. de rer. Divis. si tamen bestiae istae vivariis fuerint inclusae, tum nec ingredi alterius fundum, nec ibi capere feras licitum est, arg. L. 62. §. 1. ff. de usufruct.

Th. VIII.

Et haecce quidem per Jus Gentium Jureque Romano ita constituta sunt. At enim verò tam ex Constitutionibus Canonum, quam Principum, ejusmodi libertatem venandi, mirum in modum restrictam, quod extinctam ferè, longis ab hinc temporibus, deprehendimus. Neminem enim fore, qui ignoret, confidimus, Jure Canonico, ne venator sit Clericus, se verè sancitum, in tantum, ut Episcopum contra prohibi-

bitionem venationibus indulgentem, tribus Mensibus,
 Presbyterum verò duobus, à communione arcendum,
 Diaconum autem ab officio suspendendum, & infe-
 rioris ordinis Clericos arbitrariè puniendos voluerint
 Pontifices. *Cap. 1. & 2. X. de Cleric. confer. 1. 1. Ne Cle-
 ric. vel Monach.* Hancque Venationis clericalis inter-
 dictionem antiquioribus temporibus jam tum factam
 esse, in tantum in aprico positum, ut in Concilio A-
 gathensi *Can. 55.* circa initium Seculi VI. à Patribus ge-
 neraliter idem ordinatum legamus: Quid? quod in
 Synodis Epaunensi, Meldensi Aurelianensi, nec non
 Francica sub Zacharia Pontifice, & aliis, idem statutum
 fuisse, apud ZIGLERVM *de Jur. Maj. L. 2. Cap. 14. §. 37.*
 videri potest. Nec hoc adeò mirum, cum à SS. Pa-
 tribus ferè omnibus, præsertim AVGVSTINO & HIERO-
 NYMO parum commendatæ fuerint venationes cleri-
 corum, ita referente GRATIANO *in Can. 9. 10. 11. 12. 13.*
14. dist. 86. Quemadmodum verò Canonistæ dicta
 Conciliorum & synodorum decreta prohibitiva de ve-
 nationibus, quas dicunt, clamorosis, quiqve cum ar-
 mis fieri assolent, communiter sub intelligunt, atque
 ita, ne nimium Clericis detrahant, restringunt, contra
 verò illam venationis speciem, quam placidam vo-
 cant, adeoque cum silentio & modestia, sanitatis vel
 recreationis causa, exercetur, Clericis prohibitam haud
 esse statuunt, quid? quod, sicut ex BARBOSA *ad cap. 1. X.*
de cler. venat. aliisve commentatoribus constat, in du-
 bio Venationem non tam voluptatis, quia potius re-
 creationis causa factam esse, præsumunt; Ita citra dif-
 ficultatem colligi poterit, quò factum sit, ut tam exi-
 guus,

guus, tantum non nullus harum prohibitionum hodie-
num in Germania, imo universa fere Europa, conspi-
ciatur effectus.

Thef. IX.

Porro ex Imperatoris FRIDERICI Constitutione quæ
II. Feud. 27. §. 5. n. Nemo. extat, quibuslibet subditis in
universum, imprimis rusticis & agricolis interdictum:
Ne retia aut alia instrumenta ponant in locis publicis;
nam quod privatis permissum, id multo minus dene-
gandum Principi. *L. 1. §. 2. de Priv. Fisc.* Jam vero in
Privatorum agris nemo venari audet; Ergo nec in
loco publico ex Jure præminentia ad Principem spe-
stante idem licebit subditis. Ursos tamen, apros, lu-
posque in alieno quoque fundo ex constitutione præ-
laudata Imperatoris FRIDERICI capere atque occidere
suo tempore privatis erat indultum. *II. Feud. 27. confer.*
REGNER. SIXTIN. de Regal. L. 2. cap. 18. n. 77. nec non *L. 1.*
Cod. Theodos. de Venat. ferar. ubi Imp. HONORIVS licen-
tiam dedit, occidendi Leones. Sed uti, teste experien-
tia, ratione aprorum hodiernum contrarium obtinet;
Ita nec nocivarum ferarum captura privatis permitti-
tur, quia potius ad Jus, quod vocant, Forestæ, per-
tinet: nisi ex ejusmodi bestia forsitan incurstante vitæ
periculum immineat. Hanc enim qui occiderit, Prin-
cipum Jura neutiquam violasse dici poterit, utat vel
maxime nullam ejus occidendi facultatem acceperit.
ZIGLER de jur. Maj. L. 2. Cap. 14. §. 28.

Thef. X.

Integra successu temporum Venandi Jura tan-
quam Regale quoddam ubique fere terrarum sibi
vin-

vindicarunt Principes, ita quidem, ut non aliis, nisi illis, qui territorii sunt Domini, & quibus concesserunt, venari liceat; sicut vero principalis ratio, cui dicta Juris venandi Vindicatio Principum innititur, in Jure, quod audit, Territoriali recte ponitur, vi cujus illa quoque, quæ jure naturali aut gentium licita sunt, ob utilitatem publicam prohiberi quam maxime potest; Ita ejusmodi Prohibitionis Justitia ex utilitate publica elucescit apertius, quod (1) absque ea agriculturam aliasque honesta vitæ genera desererent ut plurimum subditi, (2) sub venationis specie, cum armis potissimum exerceri solitæ, quietem pacemve publicam turbare, tantum non homicidia & atrocinia multis telis occidentes committere, anniterentur, atque (3) omne ferarum genus per breve temporis spatium iteratis ejusmodi venationibus funditus extinguerentur. Neque ergo, ut in præscriptione Justitiam hujus prohibitionis fundemus, opus erit, cum FRANCISCO ZOANETTO *de duplici Venat. n. 48. seqq.* & HAHNIO *ad Wesenbec. de A. R. D. n. 7.* quos recte confutavit FRANZK. *Exerc. 4. qv. 2.*

Thes. XI.

Neutiquam tamen Principibus Jura eorundem Venatoria eo extendere fas erit, ut in subditorum apertam tendant perniciem. Hinc ab æquitate naturali non abhorret regula, qua dicitur: Nulla scilicet consuetudine aut præscriptione introduci posse, ne subditi segetes sepimentis cingant, feras bestias stantibus & pendentibus adhuc fructibus propriis agris abigant, & larratores canes ad terrendas feras alant, atque

que habeant, modo tamen id fraudulenter non fiat, *arg. c. fin. ext. de injur. c. 1. ext. de consuet. in C. §. 37. GAIL. lib. 2. obs. 68. n. 20.* quod etiam pie atque sapienter MAVRITIVS Potentissimus Saxoniae Elector, undique laudatissimus subditis suis indulgit. Cum Reipublicae intersit sata & frumenta a feris non devastari, quae nata, & comparata ad hominis usum atque sustentationem. PRVCKMANN. *in tract. de regal. §. venatio c. 5. n. 3. L. 28. in pecudum in fin. ff. de usur.* Proinde consuetudo contraria, erit utilitati Reipublicae damnosa, atque irrationabilis, nec admittenda *Nov. 134. c. 1.* quando itaque circumfertur: omnia Jura consuetudine & praescriptione acquiri posse *L. licet C. de Jur. de lib. L. 3. hoc Jure §. ductus ff. de aqua quot. §. aestivo. L. 4. omnes C. d. praescript. 30. vel 40. annor.* tum illud exaudiendum de iis, quae rationabilia, nec reipublicae aut communi utilitati contraria damnosa atque obnoxia sunt. *arg. L. 14. §. L. 15. ff. de leg.* Non tamen possunt subditi, quibus interdicta venatio, agros suos palis sive lignis nimium acutis munire, & circumsepire, eo enim sepimento feris periculum crearetur, ita, ut transcendere volentes facillime transigi possunt, cum hoc fieret, in fraudem Legis & praesudicium Juris alieni, *arg. L. 38. in fundo ff. d. R. V. l. 8. cum hi §. si cum his ff. de transact. L. 5. magis puro §. si pupillus ff. d. reb. eor. qui sub tut. vel cur. cum tamen aliis legitimis remediis citra earundem interfectionem commode ex agris suis abigere & fugare queant *L. 39. quintus §. quandovis ff. ad L. aquil.**

Thef. XII.

Venationem vero in se, & absolute consideratam
jus

jus proprium esse, & per se consistens, uti sunt alia Ju-
 ra, Principibus & Proceribus, uti & Privatis compe-
 tentia, exemplo Jurisdictionis, Emphyteuseos, anti-
 chriseos, feudi &c. asserimus GAIL. 2. *obs.* 66. Ergo (1)
 non est servitus personalis, quantumvis quandoque
 objectum usufructus & sic servitus personalis objective
 vocari potest, veluti si Princeps Jus venandi in quadam
 Sylva concedat in usumfructum nobili cuidam *per arg.*
L. 26. venationem ff. de usur. L. 2. usufructuarium ff. d. usu-
fruct. (2) Nec servitus realis, uti docet GAIL. *lib. 2. obs.*
66. num. 1. licet eo saltem in casu pro quasi servitute
 prædiali s. potius Jure Reali haberi possit, quando ser-
 vitutum realium instar à sylva tanquam prædio ser-
 viente debetur villæ, vel castro, tanquam prædio do-
 minanti, & ad heredes transeat. *cit.* GAIL. (3) Nec ser-
 vitus Jurisdictionis. (4) Nec pactum personale; quem-
 admodum vult BARTOL. in *L. ut pomum ff. d. servit.* (5)
 Nec regalibus, uti vocantur Majoribus, venatio annu-
 meranda, cum Regalia hæc Majora in signum præ-
 eminentiæ & Symbolum Majestatis & superioritatis
 qua talis, cujus subditi & privati nullatenus fieri pos-
 sunt participes, Dominis competant. Venatio autem
 ad Majestatem Imperii ejusque dignitatem pertinere
 non potest, ROSENTH. in *Synosp. feud. c. 5. concl. 2.* cum
 & redditibus venationis uti, & Jus venandi etiam ad
 privatos spectare possunt, *L. 26. venat. ff. de usur. L. 9.*
item si fundi s. aucupiorum L. 26. usufructuar. ff. de usufi.
 Ad Minora itaque Regalia potiori scil. Jure, relative ad
 Principem, referri poterit.

Thes. XIII.

Privatis itaque Jus Venationis non competit, nisi is, qui superioritate pollet, illud eisdem concefferit. Quæ concessio non solum innitur voluntat & expressâ, pactioibus & stipulationibus, accedente traditione vel Investitura declarata, aliisque variis modis per *L. 2. §. 16. ff. ne quid in loc. publ. 14. §. 2. ff. de serv.* fed etiam, probatur: voluntate tacita: quando videlicet quis tanto tempore venatione usus est, Principe tamen sciente & non contradicente, cum contra ignorantem nulla currat præscriptio. Præscriptionem autem hoc in casu requirimus, quæ est immemorialis, non vero longissimi, multo minus longi temporis; eo quod Venatio ad Regalia pertineat, quæ nulli alii, quam præscriptioni immemoriali subjacent, *C. 26. super quibusdam §. præterea ext. D. U. V. 35. ductus aqu. ff. de aqu. quotid. & estivo. GAIL. 2. observ. 66. n. 7.* Alias si prohibitionis infeculæque patientiæ actus interveniat, atque de venatione contra privatum præscribenda quæstio sit, tempus ordinarium ad præscriptionem sufficere omnino statuimus, ad exemptum aliorum jurium *L. 3. C. de præsc. 30. vel 40. annos.* Aliud tamen Jure Saxonico ob ordinationem Provinciale[m] Saxoniam *de Anno 1555. tit. das keiner auf des andern Grund und Boden ic. So wollen wir* obtinere, ita ut nec in possessorio, nec in petitorio præscriptionis tempus allegari, possimus sed sola præscriptio immemorialis etiam contra Privatum sibi vindicare, ex *ZIGLERO de Jure Maj. L. 2. cap. 14. §. 44. 45. 46.*

Th.

Thef. XIV.

Ex fundamento hocce tacitæ Voluntatis Principis quoque evenit, ut si castrum seu territorium alicui cum omnibus pertinentiis concedit, jura quoque venandi concessisse intelligitur, *L. 39. ff. d. action. emt.* si Jura Venandi antea ibidem fuere exercita. Secus vero, si ditionem simpliciter concesserit, adeo, ut nec jus foresti seu Jurisdictionis sylvatica vulgo *die Förstliche Obrigkeit* ad Jurisdictionis speciem sit referenda, quæ indeterminatim cum prædio cuidam fuit relicta. Cum hæcce Jurisdictionis privatis vel omnino non, vel raro, concedi soleat. *Cinsiedel de Regalib. c. 3. n. 373.* Etsi autem cui fundi alicujus usus fructus concedatur, non etiam concessæ intelliguntur venationes ni modo fructus ex venatione constent, *arg. L. 9. item §. aucupiorum §. l. usufructuarium ubi gl. de usufruct. L. 26. de usur.* Ita si cui Jus venandi concessum aut præscriptione acquisitum, non quam primum etiam jus aucupandi concessum aut acquisitum intelligitur, cum separatorum separata sit ratio *arg. L. fin. ff. de calumn. l. 20. Papinianus ff. de minoribus L. 9. §. aucupiorum de usufruct.* Et concessiones stricte sunt accipiendæ, nec quicquam debent operari extra verba & mentem loquentis. Nec præscriptio usum præscribentis excedat, inde qui tanto tempore majores tantum feras venari solitus est, non potest capere minores & vice versa *L. 1. §. 15. 18. ff. de aqu. quotid. & æstiv. L. 12. C. d. servit. L. 1. §. 5. de itin. act. priv.* tantum enim præscriptum, quantum possessum. Ita nec concessa potestate insectandi & capiendi feras majores, ut cervos apros &c. vulgo *das grobe, hohe, und schwarze Wild*, facultas

tas tributa, & simul concessa intelligitur capiendi feras
 minores, lepores, vulpes, &c. das kleine Wildpreth,
 eo quod sicut servitutis modus, ita & venationis con-
 cessione adjectus, præcise & exacte servandus sit, *arg.*
L. 13. certo generi ff. D. S. R. P. L. 4. de servit. L. 7. si sit
constituta ff. quemadmod. serv. amit. quam sententiam et-
 iam in praxi servari testatur, *HARPRECHT ad §. 12. Inst. de*
rer. divis. n. 239. Ita si princeps aliquem investierit, de
 castro cum territorio, in quo sunt plures sylvæ atque
 feræ, & subjecerit mit **Jachts-Gerechtigkeit**, huic Va-
 fallo non majoris, sed inferioris solummodo notæ vena-
 tionem, nimirum **Jagd-Gerechtigkeit an Haasen, Fuch-**
sen, und kleinen Weidwerck &c. regulariter permittam esse
 dicimus, ni modo contrarium actum esse probari queat,
arg. L. 1. ff. de offic. ejus cui mandat. est Jurisdicf.

Thef. XV.

Dominus autem Vasallo ignoranti Jus alienum
 venandi in feudum concedens de evictione tenetur,
 aut si Princeps jus venandi seu foresti, vulgo **der Wild-**
Bahn und Forstliche Gerechtigkeit in uno eodem-
 que loco diversis temporibus duobus in feudum con-
 cedat, tum prior posteriori præfertur, *arg. L. pred. C.*
d. loc. prædior. L. 2. §. merito & §. si quis à Principe ff.
ne quid in loc. publ. nisi priori Venatio prius sit tradi-
 ta, quod fit per usum & patientiam. Concedens ta-
 men venationem ex benevola voluntate non abdi-
 cative, seu privative sed cumulative concessisse intel-
 ligitur, *L. 1. C. de offic. præf. urb.* cum in omni oratione
 persona loquentis præsertim Principis excepta intelli-
 gatur, *arg. l. 18. inquisitio C. d. solut. sin modo venatio præ-*
 scri-

scriptione aut titulo oneroso sit acquisita, aut feudum tantum in fructibus venationis consistat. *Dd. in L. 28. alienationis ff. D. V. S.*

Thef. XVI.

A quolibet autem, cui Jus venandi à Principe, citra nexum feudalem indultum, seu præscriptione acquiritum regulariter cedi & in alium transferri potest, cum quis sit rei suæ moderator & arbiter *L. 21. in re mand. C. Mandat. omnisque actio alicui competens cedi possit r. r. ff. vel act. vendit. nisi concessio venationis sit personalis, quæ personam non egreditur, nec si venatio ad voluptatem fuerit concessa, alteri cedi potest, cum hic Jus venandi ad personæ voluptatem sit restrictum, qualitasque certæ personæ electa arg. L. inter artifices ff. de solut. L. 8. L. II. ff. d. usu & habit. secus si venatio ad certum numerum ferarum per Principem alicui fuerit concessa, HARPR. in comm. ad §. 12. Inst. de rer. divis. n. 216. Non tamen venationes precariæ in alterum transferri possunt, eo quod hæ concessiones cum persona extinguuntur, cum sint personales, & Privilegia alicui ex singulari gratia concessa, alteri cedi nequeunt, arg. L. 42. ff. de administ. tut. sicut nec Rescriptum Principis cedi potest. CARPE. Lib. VI. tit. VI. Resp. XXXVI.*

Thef. XVII.

Distingvimus hic inter Jus venandi germanice, *Wildbahn, oder Wildbahns Gerechtigkeit*, & inter forestam seu Jus forestæ, vel foresti, *Forst oder Forst = Recht*, item *Forstliche Gerechtigkeit*, eo, quod in aulis Principum distincta perhibeantur officia,

des Jäger-Meisters, und des Forst-Meisters, diversitas autem officiorum, diversitatem etiam inducit rerum. Nam der Jäger-Meister venationi præficitur, cui ex officio incumbit, omnia illa sollicitè disponere & ordinare quæ venationi conveniunt, contra der Forst-Meister sylvis & nemoribus præficitur, qui id agat, ne sylvæ devastentur, seduloque procuret ea, quæ ad sylvarum utilitatem pertinent: Plus itaque habet cui foresta, quam cui venatio concessa est. MEICHNER. tom. 2. Decis. Com. Imper. lib. 2. Decis. 2. n. 38. fol. 136. Qui enim Jus forestæ habet, non modo feras occupare, sed alia Jura habere potest, quæ maximè sunt ponderis, ut Jus prohibendi atque præcipiendi de rebus ad venationem spectantibus, Forstliche Geboth und Verboth anzulegen, Jus saltuarios, Forst-Meister und Forst-Knecht constituendi omnes fructus sylvestres, percipiendi, Jus transgressores pignorandi atque multandi: Cui vero venatio competit, Jus tantum, & facultas investigandi, capiendi, atque prosequendi feras competit, nec plus habere assèrit, HARPR. ad §. 12. Instit. de rer. Divis. n. 263. Ideo ex Jure foresti, Dominus, cui in sylva aut alio aliquo loco Jus venandi competit, prohibere potest, ne quis sine causa globum in sylva emittat, vel bombardam exerceat. arg. L. 4. Loci §. si quis diuturno §. fin. ff. si servit. vind. MODEST. PISTOR. Consil. 70. n. 15. 16. & 19. Vol. 1. si alias quis dubitet, quod in sylvis degens vel errans, si proprii corporis aut fortunarum defensionem suscipere cogatur, etiam contra Superioris prohibitionem bombardam exonerare, globumque emittere possit, arg. L. un. C. de venat. ferar. Lib.

Lib. 2. feudor. 27. vers. nemo retia, l. s. qui fumo 49. §. 1. ff. ad L. aquil. L. 2. §. 3. C. ad L. Corn. de sicariis.

Thes. XVIII.

Dominus autem fundi, in quo Jus venandi constitutum, licet in sylva pascua pecora pascere possit, non tamen in sylva cœdua, per L. 30. in pr. §. in fin. ff. de verb. signific. Nec in sylvis suis, in quibus venandi Jura alicui constituta sunt glandes, & similes fructus, qui glandis nomine veniant, legere ferisque pabula sylvatica subtrahere potest, L. un. §. 1. ff. de gland. leg. L. 236. §. 1. ff. de V. S. nisi modo pactis, longove usi aliud cautum fuerit. PRUCKM. de regal. §. venatio c. ult. GAIL. 2. obs. 68. num. 4. Ita nec Proprietarius in cujus sylva venandi Jus alteri constitutum est, complures arbores simul, semelque excindere, aut vero excissis omnibus eam ad culturam reducere potest, arg. L. 13. cerro §. 1. si totus ff. D. S. R. P. l. 7. C. de Servit. §. acq. l. 3. §. 15. rescire ff. de itin. act. priv. adeo, si proprietarius ejusmodi quid attentat, non tantum interdictum uti possidetis, & actio confessoria institui, verum etiam Mandata sine Clausula in Camera Imperiali decerni possunt. GAIL. 1. obs. 13. n. 3. §. 4. §. 2. obs. 67. n. 8. Ligna tamen ex ea sylva, & quantum ad refectionem ædificiorum, aliosve usus opus est, Dominus sylvæ cædere non perhibetur, modo id absque insigni detrimento fiat L. 50. ususfructus, de usufr. quia & usufructuario hoc permittitur. L. 10. L. 12. in pr. ff. de usufr. Ita nec Domino sylvæ venatoriæ, in qua alter Jus venandi consecutus est, permissum erit, grandes, & annosas arbores cumulatim, & magno numero una scilicet vice

extirpare, totamque sylvam radicitus, ac stirpitus evertere, & inverfo cespite, arborumque radices necare, adeoque ex illa sylvā agrum novalem facere, *L. fin. ff. de pact. L. 10. 11. 15. §. proprietatis ff. d. usifr.*

Th. XIX.

Quod autem in concessione dictum longoque usu observatum, illud præcise servandum; Quod si indeterminate usus venationis fuerit concessus, an tum quibusvis instrumentis venatoriis venatio exerceri queat, quæritur? & ita dicendum videtur, quod sic, quia concessio sine omnia concessa videntur, ad finem istum tendentia, *arg. L. 2. ff. de Jurisd. L. 3. §. 8. si quis ff. d. Rivis. Castrenf. ad L. imperium n. 3. ff. de Rivis.* Sed exercitium venationis restringi debet ad ea instrumenta, quæ non facile possunt esse nociva; Ideo nec pro lubitu foveas aut fossas, vulgo, *Wolffs- oder Fuchs-Gruben* fodere, laqueos aliaque instrumenta ferarum capiendarum gratia ponere, aut ejusmodi alia, veluti decipulas, pedicafve, *Schleiffen oder Fallen* ponere licet, aut quæ instrumenta non facile inveniuntur prohibita, ideo armis venari regulariter est prohibitum *Lib. 2. feud. tit. 27. §. nemo GOTHOFR. in not. ibid.* nisi species venationis superior, *die hohe Jagd*, hoc exigat, aut aliud in concessione fuerit expressum, *CÆPOLL. tract. de S. R. P. c. 21. tit. de aucupat. n. 20.* Ita & tempora venationis sunt observanda. Nemo enim diebus festis, & Dominicis venari potest, quando necessaria ecclesiæ, vel Reipublicæ, aliaque munera sunt obeunda. *LEV. 23. §. 3. §. 8. PRÜCKMANN de regalibus §. venatio c. 5.* nisi vel necessitas famis, aut perituræ segetis, aliaque utilitas hoc

hoc exigit, *arg. c. 1. X. de feriis c. si nulla 23. qv. 8.* alias enim, si diebus feriatis omitteretur, communi commo-
modo hoc noceret, PRUCKMANN. *de Regalib. §. venatio c. 5. n. 3.* Ita nec tempora imprægnationis partusve extra casum venari licet, WEHNER. *in pr. obs. verb. Forst-
Necht.* Proinde ex sapientissimo Consilio Ducum Saxon. ob multiplicationem ferarum constitutum, ut ii, qui Jus venandi habent, ab omni venatione, *der Haas-
sen, Schweine und Fuchs-Jagd* post Bachanalia usque ad diem Bartholomæi, inclusive; *der Rehe- oder Hirsch-
Jagd*, post bachanalia usque ad diem Pentecostis inclusive sub pœna centum florenorum abstineant, COL-
LER. *ad c. audit. X. de præsc. in 6.* ARNOLD DE REYGER *in thesaur. Jur. verb. venatio n. 4.* talis etiam legitur de avium captura prohibitio AVGVSTI *de anno 1555. tit. Vogel fahen.*

Thes. XX.

Quod si quis in constituta venandi facultate tur-
betur, vel etiam ea uti prohibeatur, is contra turbantem vel impediendum, vel confessoria actione vel interdicto uti possitis experiri potest. *arg. L. 8. §. Aristo in fin. L. 2. L. 10. si quis diuturno §. ult. ff. si sero vind. L. 1. §. fin. de aqu. §. aqu. plu. arcend. & reus victus tenetur de præstatione damnorum datorum, cum cautione, se in posterum possidentem turbare nolle. L. 4. loci §. 2. L. 10. si quis §. 1. arg. ff. si sero vind.* Et sane si feræ clanculum intercipientur, cujusmodi fericidæ, heimliche Wildpret-Schützen, oder Wildprets-Diebe, vocantur, etiam, variis pœnis effici possunt, quantum vis furtum non faciant, quia feræ in libertate naturali vagantur,

gantur, & lege divina ac gentium occupantis fiunt, §. 12. *Instit. d. Fur. nat. gent. & civ. L. 1. §. 1. l. 7. §. item feras de aqu. poss. nec furtum rei propriae, sed alienae esse potest. L. 1. §. ult. de furt. pr. Instit. d. obli. ex delict.* quamvis furtum committatur in istis feris captis & abbeatis quae incluso leporio, muro, sepimento aut vivario tenentur, quia ab includente possidentur, ejusque dominio semel subjectae sunt. *L. 62. §. 1. de usufr. L. 3. §. item feras d. aqu. poss. Gail. 2. obs. 68. in fin.*

Th. XXI.

De poena distingvendum, si contra Edictum Principis feripetae venentur: aut enim id faciunt casu; aut ex proposito: Si casu; v. g. feram in tractu principis venatorio contra intentionem interimendo tum a poena quidem liberabitur. *arg. pr. §. si quad. paup. fec. dic.* Si vero & proposito; tum iterum distingvitur an id factum ex voluptate, an vero necessitate, quae necessitas aut ex paupertate, aut ex defensione fuerit, utroque, in casu Venator potius misericordia, & venia, quam poena dignus, quantumvis pauperibus, contra prohibitionem saepius venantibus, non patrocinaur, si aliud remedium inopiae succurrendi facile habere possit, *arg. c. sicut ii 8. 47. diss. c. fraternitatis 12. C. q. c. fin. 25. q. pr. Instit. de obl. ex del. 2. §. iidem ff. ad L. Rhod. de fact.* quod si ex voluptate, vel alia ejusmodi causa quis venetur, tum considerandum, an prohibitioni certa poena adjecta, vel non adjecta fuerit. Si nulla certa poena fuerit addita, tum pro delicti admisi qualitate & personae conditione, vel pecuniaria, vel carceris, vel relegationis, vel etiam fustigationis poena dictari

dictari potest, arg. L. ii. perspicendum, L. 13. hodie ff. de
 pœn. L. 3. §. 1. vers. plane d. rer. acqv. dom. quæ lex pe-
 detentim sequitur, sicuti canis leporem, CARPZ. Lib. VI
 tit. III. Resp. XXI. n. XI. & sic hæc pœna est arbitraria
 §. 10. L. Inst. de injur. quæ etsi ad mortem extendi possit,
 arg. L. fin. ff. de furr. & L. fin. ff. de privat. del. durissi-
 mum tamen esse credo: ob abjectissimæ alicujus be-
 sticæ capturam, non adhibitis, & consideratis circum-
 stantiis vitam alicui eripere vid. Landr. lib. 2. art. 61 ibi:
 Darum haben wir dessen kein Uthkund von Gott, daß
 niemand seinen Leib noch Gesundheit von diesen dreyen,
 als Vögeln, Fischen und wilden Thieren verurtheilen
 möge, WESENB. in parat. ff. d. acquir. rer. domm. n. 7. Ideo
 Sereniss. ac Potentiss. Electoratus Saxonicæ pientissimæ
 recordationis administrator aliquoties dicere solitus
 est: se aliquoties sacra bibliaperlegendo voluisse, non-
 dum tamen in iis invenisse, quod homini ad imaginem
 Dei condito propter feram bestiam vitam adimere de-
 beat. Et quamvis ab Electore Sax. per Edicta publi-
 ca venatio sub pœna laquei subditis sit prohibita, &
 eum in finem in viis publicis furcæ erectæ, attamen
 nunquam Executioni demandatæ sunt, sed contra
 transgressores legis semper mitius proceditur, unde
 CARPZ. Proc. crimin. P. 1. qu. XLIV. n. 39. inquit: sæpius
 promulgari Decreta duriora, quæ tamen executioni
 non tradantur, sicuti factum in *Lege 12. rabb. de secan-*
do corpore debitoris obærat. Quando autem in ta-
 li homine crescit contumacia, eò sane in casu facti &
 personarum qualitate ita exigente, præsertim si con-
 temtus superioris sive principis accederet, & manife-

D

ste

ste apparet, ita, ut jam incorrigibilis factus videatur, tum non tam ratione venationis prohibita, quam contemptus & pervicaciae adeoque perfidiae intuitu, pro modo tamen, & varietate circumstantiarum, cum tali casu lento gradu ad capitis pœnam sit progrediendum, pœna sanguinis, talem venatorem interdictas venationes sæpius iterantem, recte affici posse, omnino affirmamus cum FACHINÆO L. 1. *Controv. cap. 1.* ANTON PEREZ. *in Cod. de Venat. ferar. n. 7.* & CASPAR. ZIGLERO d. *Libr. & tit. §. 33.*

Thes. XXII.

Amittitur venatio, si quis Domino eam cesserit, L. 66. ff. de Jur. dot. §. 3. *Inst. de usufr.* item, qui contra modum, tempus, & pacta, venandi Jus exercuit. L. 10. §. 1. l. 18. *in pr. ff. quemadmod. serv. amit.* Beneficio enim, qui abutitur, merito etiam eo privari debet, *arg. Reichs-Abschied de anno 1570. §. damit solche übermäßig ic. & duob. §§. seqq. & §. und was jezto c. 7. Dist. 74. c. 60. caus. II. qv. 3.* MATTH. STEPH. *de Jurisdic. lib. 1. c. 39. n. 9.* GAIL. *de arrest. c. 10. n. 13.* aut si is, qui venandi Jus habet, subditis illorumque fructibus damnata dederit, per nimiam ferarum copiam, earumque intempestivam capturam *arg. l. ult. §. minores 2. C. de sent. pass. auth. qui rem hujusmodi C. de SS. Eccles.*

Thes. XXIII.

Omittitur porro venatio, si longissimo tempore quis non fuerit venatus, *arg. L. 4. ff. quemadmod. servit. amittat. instar reliquorum Jurium L. 3. C. de prescr. 30. vel 40. annor.* si modo prohibitio & patientia infecuta fuerit, extra casum autem prohibitionis, infecutaque pacien-

patientiae, nulla & hic praescriptio, ut in re merae facultatis currere potest. *gl. in L. 6. solvat. in fin. ff. de offic. procons.* Si tamen quis venari non potuerit, ob sylvarum violentiam, atque injustam occupationem, & ob ferarum instrumentorumque venatoriorum penuriam, tum Jus venandi intra hoc tempus spatium non amittitur, *arg. L. 34. §. cum L. seq. ff. de S. R. P.*
¶ ibi GOTHFR. DONELL. in comm. all. circa fin.

DEO SIT GLORIA.

CORROLARIA.

I.

Fera contra prohibitionem Principis capta, regulariter capientis est, non Principis venationem prohibentis, nisi constet, principem prohibendo venationem, simul interdixisse ferarum occupationem, quod in dubio praesumitur.

II.

Hypothesis eorum, qui Principem quicquam circa modum acquirendi ex Jure Gentium proveniente, adeoque impedire posse negant, ut capienti fera capta non acquiratur,

D 2

tur,



tur, falsa est; Hinc recte eam rejecit cl. B. ZIGLER *intr. de Jur. Maj. L. 2. cap. 14. §. 25.* ut ut ipse eandem antea in *in Not. ad Grot. L. 2. c. 2. n. 5.* ex errore defenderit.

III.

Primitiva creationis Lex: *Subjicite Vobis bestias*, Justitiæ Regalis Venatorii Principum nullatenus obstat. Hæc enim nil nisi facultatem capiendi homini concedit, ast necessitatem, ut capiat, non imponit.

IV.

Falsum est, in feris, quæ in sylvis circumscriptis vagantur, furtum proprie dictum committi. Nec enim à Domino Sylvæ possidentur, nec in ejusdem Dominio sunt ante capionem. *L. 3. §. 14 ff. de A. A. P.* Sine sufficiente Fundamento hæc Ratio displicuit GROTIUS *de J. B. et P. Cap. 8. n. 2.*



Erfurt, Diss., 1725-26

X 235 5902





Farbkarte #13

B.I.G.

1726, 14

77.
35

DISSERTATIO INAUGURALIS IURIDICA,
DE EO
QVOD IVSTVM EST
CIRCA
VENATIONEM.

QVAM
MAGNIFICO RECTORE VNIVERSITATIS
AC PRO-CANCELLARIO,
REVERENDISSIMO ET PER-ILLVSTRI DOMINO,
DOMINO
CHRISTOPHORO IGNATIO
DE GVDENVVS, J. V. D.

DENOMINATO CONFIRMATO ET PROXIME CONSECRANDO SVFFRAGANEO
ERFORDIENSI ET EPISCOPO ANEMORIENSI, INSIGNIS ECCLES. COLLEG. S. SEV.
CAN. CAP. ET SCHOLAST. EMINENT. AC CELSISS. PRINC. ELECT. MO-
GVNT. CONSIL. ECCLESIAST. ET REL.
CONSENSV ET AVTORITATE AMPLISSIMÆ
FACVLTATIS IVRIDICÆ
IN PERANTIQA ELECTORALI ERFORDIENSI
SVB PRÆSIDIO

DN. D. TOB. JAC. REINHARDT
SACR. PALAT. CAS. COM. FACVLT. IVRID. ASSESS. PAND. P. P. ORD.
NEC NON CIVITATIS SYNDIC.

PRO LICENTIA
SVMOS IN VTROQVE IVRE HONORES ET GRADVM
DOCTORALEM IPSVM RITE CAPESSENDI
LOCO HORISQVE CONSUVETIS
PVBLICO EXAMINI SVBJICIET
AVTOR

ANDREAS NIZSCHIVS, Schlettav. Misn.
ADVOCAT. IMMATR. SCHVVARTZENBERGENS.

DIE XXV. MAJI ANNO M DCC XXVI.
ERFORDIÆ, Typis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.

